

liquoris, hæc demum visa mihi sunt posse vel suppleri, vel distinctius annotari. col. 21. lin. 61. altitudinem supplicans nos post legitur celsitudinem suppliciter postulans, quatenus &c. col. 22. l. 3. post verbum legaliter ponenda puncta; nam hic deest tertia pars lineæ hujus characteris, ac formæ. l. 5. post imperatorem, adde puncta; nam deest dimidium lineæ. A lineæ 8. usque ad lineam 21. ita legas velim. Omnia prædia, castella, vicos, districtiones, & ordinationes, famulos, vel famulas, & universa, quæ eidem Ecclesiæ antiquioribus institutis pertinere videntur, eo videlicet stabilitatis ordine, ut hac nostra auctoritate, & defensione (deest dimidium lineæ) omnes adversarios (deest dimidium lineæ) securos esse volumus. Insuper & ordinamus, atque concedimus, ut ubicumque aliqua controversia, aut contentio (deest lineæ) atque concambiis contigerit, vel emerferit (desunt duæ lineæ) & definiendi per pugnam, si e campionem, ne diu (desunt duæ lineæ) sed domini manifesto judicio declaretur omnium (deest una lineæ, & paullo plus) ut nullus Dux, Marchio, Episcopus, Comes, Vicecomes, Scultascio Gastaldus, nulloque regni nostri præpotens, vel parva persona jam dictum primum Episcopum, vel suos successores de jam dicta confirmatione, & corroboratione, seu concessione de unversis rebus &c.

Col. 22. lin. 31. l. contradictione, & diminoratione penitus remota. lin. 34. post copulam, deest unum verbum, puta confirmatione. lin. 40. diligenterque l. diligentiusque. lin. 44. post anno Henrici Regis adde XII.

Post nomen Henrici in spatio vacuo addebatur hoc monogramma paulo ab aliis diversum.



In notis vero sub n. 1. hæc irreperunt ob scripturæ exilitatem menda col. 23. lin. 3. lege reservata lin. 22. l. fureret. lin. 44. l. multi illum editis libris, ac in conciliis damnarunt. lin. 58. adpone signum interrogantis. Quoniam vero in hac nota Episcoporum defensionem circa jus duella instituendi ab ipsis impetratum suscepi; juvabit in medium asferre historiam cujuscumque duelli Terdonæ initi, in qua elucebit hujus Civitatis, & Episcopi egregium moderationis exemplum, quod excerpti ex quodam Chartulario, cujus mihi copiam fecerat Cl. Vir Com. Ferrerius Puncilionus.

Anno MCXCIX. Incolæ Montis Caprarii inimici civitatis Terdonæ, cujus imperio parebant, castrum prodere tentarunt veneno inficientes puteos, cibos, aliisque illicitis, ac malis artibus usi. Re comperta Terdonenses eos proditoris accusarunt. Negabant illi, captum est consilium veritatem per duellum cognoscendi. Adhibitis campionibus pugratum est coram D. Episcopo Terdonensi Ottone. Abbate Lucedii, Abbate de Ripa, & Abbate S. Marci, & Bonifacio Mar-

chione Montisferrati. Montis Caprarii oppidani victi fuerunt, & crimen confessi se ultro Terdonensibus dederunt. Ipsi autem cum eos omnes vellent interfectione delere, ex mediatione Episcopi, aliorumque præsulum Ecclesiasticorum, eorum vitæ pepercerunt sub quibusdam conditionibus, quarum præcipua hæc erat, ut se suaque omnia Terdonensibus darent, & habitationem in Civitatem transferrent, uti effectum est.

MXXVII. col. 24. n. 13. Hoc documentum exscripsi ex quadam monumentorum collectione ad familiam Clarissimorum Comitum Valpergæ de Masino, quam in Bibliotheca Patrum Cisterciensium Refor. Taurinensi reperi. Si tamen libere fatear, quod sentio, puto interpolatum esse non solum in iis verbis, quæ cursivo, ut vulgo dicitur, caractere exscribenda curavi, verum etiam in lineæ 40., ubi Aicam filiam facit Domini Henrici Regis, uti re diligentius expensa mihi videtur. Rationes, quibus in hanc adducor opinionem in historia Marchionum singillatim exponam. Hic solum animadvertam hæc additamenta Benvenutum prorsus ignorasse. Hic enim Aledami originem altius repetere cupiens ex hoc documento, quod ad initium sæculi IX. retulit,prehendisse sibi visus est Avum Aledrami Guidonem fuisse, & Aicam Comitissam, quod cæteris ante ipsum scriptoribus noverat ignotum, nil ultra addens de Anscario, vel de Rege Henrico, quæ sane cum decora admodum, ac gloriosa Aledamo forent, haud prætermisisset. Præterea ex comparatione facta inter hoc documentum, & compendium illius, quod italicè in sua Chronica protulit Benvenutus, aperitissime colligitur interpolatorem istum nil aliud egisse, præterquam quod latine solum vertere, quæ italicè ex ipsa membrana, ac contracte Benvenutus retulerat, ut duas illas additiones data opera inserere posset.

Collocavi non ad ann. DCCCCVIII., uti perperam Benvenutus, sed ad ann. MXXVII. ob rationes a C. V. Vernazza in præfat. edit. Taur. Benv pag. 42. prolatas.

Duo autem mihi sunt diluenda, quæ in Benvenuti sententiæ patrocinium Vir C. S. mihi per epist. significavit.

40 Primum est Conradum initio sæculi X. imperitasse, ut ex Riccobaldo, aliisque recentioribus scriptoribus constat; alterum est difficultas conciliandi, quomodo uno eodemque tempore inter ipsos agerent Gullielmus pater Aledrami, & Tete ejus pronepos, ut ex charta numero sequenti a me edita consequeretur. Quoad primum haud inficior Conradum in Almania annis 7. imperasse, ut ait Riccobaldus, sed & nullibi imperator dictus, uti legimus in hoc documento, & ab Italicis nusquam agnitus fuit, neque ullæ indicari possunt chartæ ejus regni annis signatæ, ut editores Maurini in celebri opere art. de verifier les dates pag. 9. affirmarunt. L' Italie ne connut point le Roi Conrad; aussi dans se diplômes il ne se dit ni Empereur, ni Roi d' Italie. Quoad secundum vero fateor ignorare, quis iste Gullielmus fuerit, qui Grassanensi Monasterio hanc fecit donationem. Ex Comitatu titulo, quo erat insignitus, colligi videtur ad Marchionalem Aledrami familiam haud pertinuisse.

MXXVII. col. 24. n. 14. Cum hoc documentum diverso caractere imprimi curaverim, ne lector hæreat in causæ investigatione, paucis consilium meum aperiam. Inveneram in quadam chartarum farragine, quam cuidam litteratorum virorum societati V. C. Ma-